



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

3. De Augustissimo Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

desiderium sua corrigendi delicta , horrendi-
que atque æternum fugiendi peccata , qua
tantorum exitere tibi causa tormentorum ?

Mi Deus, quam ardentia cor meum inflam-
mant pro te patiendi , atque ad tuam imita-
tionem res quasque difficillimas maximeque
arduas aggrediendi desideria ? Quam pudet,
pigetque hæcenus vitam duxisse à tua tanto-
pere alienam , toties mortificationis occasio-
nes respuisse , ut meæ sensualitatis inclinatio-
nes vehementius sectarer ? Quantis me bo-
nis privavi ? Prô ! Ex fundo cordis mei opta-
rem id nunquam factum fuisse. Quam pudet
adhuc tam parum super sanctas actiones tuas
heroicasque admirandæ vitæ tuæ virtutes re-
flexisse ? At firmiter hoc mihi constitutum est ;
illam vitam tuam imposterum habere pro ex-
emplari & archetypo , illamque semper oculis
mentis meæ præsentem inspicere, ut meam ipsi,
quantum quidem possibile fuerit, assimilem &
conformem.

3. *De Augustissimo sacro-sanctæ Eucha-
ristiæ Sacramento.*

ANima, postquam contemplata fuerit in-
stituendi hujus ter adorandi Sacramen-
ti rationes , amoris erga genus humanum te-
nerrimi plenas, miracula , quæ Salvator noster
facit , ac pericula , quibus ipse se exponit, ad
nos ut veniat , mirabiles, quos producit, effe-
ctus ; ac præcipuè illustrationes & consolati-
ones, quas iis infundit animabus, quæ con-
venienti ipsum cum devotione receperint ;
anima, inquam, postquam ista ac similia me-
ditata

ditata fuerit, uti decet, infallibiliter hosce per-
sentiscet affectus.

1. Tenerrimi, intimi, ac reverentissimi a-
moris erga Deum ac Dominum Salvatorem
nostrum.

2. Sinceræ intimæque recognitionis illius
doni inæstimabilis.

3. Profundissimæ humiliationis atque ab-
jectionis suiipsius, cum tantus Deus tanta pro
vili creatura sua operetur mirabilia.

4. Affectuosissimæ adorationis filii Dei in
sanctissimo Sacramento.

5. Laudis, admirationis, suspensionis, alios-
que innumeros sanctos affectus ex hoc san-
ctissimo atque ineffabili Sacramento, veluti è
perenni leaturigine, promanantes.

Deinde producet quatuor istos affectus ge-
nerales:

1. Actionis gratiarum pro tanto beneficio.

2. Propositi sese dignè semper præparandi
ad sacram communionem.

3. Oblationis suiipsius in vicem amoris.

4. Petitionis gratiæ ad habendos semper-
què fovendos conceptus & affectus, quos tan-
tum promeretur mysterium.

Formulam hujusmodi actuum hic non da-
mus, tum ut ingratam vitemus prolixitatem,
tum etiam quia facile erit imitari formulas
præcedentes.

4. *De Vita ac Virtutibus B.V.
& Sanctorum.*

Postquam illorum virtutes, merita, gloriæ
gradus, media, quibus illam sunt assecuti,

K 2

quo-

De
ratione